



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

31. De sanato à Christo seruo Centurionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59868)

leproso, ne ma-
os commonefa-
andisq; nostris
gloriam aucu-
a hominib. esse
tere secundum
Nesciat fini-
tua.

ligeremus, non debere nos ita deditos iuuadis
proximis, vt negligamus studium orationis
ad iuuandos nos ipsos: & contra, ne ita dediti
sumus orationi, vt proximos negligamus. Itaq;
ita partiri debemus occupationes, vt amor Dei
non impediatur amorē proximi, nec amor proxi-
mi imminuat, vel etiam impediatur amorē Dei.



DE SANATO
SERVO CENTV-
RIONIS.

MEDITATIO XXXI.
EVANGELIVM.



VM autem introisset *Mat. 8.*
Iesus Capharnaum Cē. *Luc. 7.*
turionis cuiusdam ser-
uus malè habens erat
moriturus. Et cū au-
disset de Iesu, misit ad eum seniores
Iudæorum rogans vt veniret, & sana-
ret seruum eius, dicens. Domine, pu-
er meus iacet in domo paralyticus;

Aa 4 &

, recordamur
igno emenda-
ratam vultu
ideo CHR-
mpore sanita-
e, eiq; gratias
vret Deo ali-
ficio sanitatis

at leproso ad
rrent sacrifi-
iam si quando
s est, expar-
nus obligatū
nfe sionem,
illo ei impo-

locis pu-
sanabat, sed
e recipiebat
lum vrin-
e, atq; inte-
lige-

& malè torquetur. Illi ergò cum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei, quia dignus est, ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis. Et ait illis Iesus. Ego veniã, & curabo eum, & ibat cum illis. Et cum iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens. Domine noli vexari; non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres, propter quod & meipsum non sum dignũ arbitratus, ut venirem ad te, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nã & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade & vadit, & alij, veni, & venit, & seruo meo, fac hoc & facit. Quo audito, Iesus miratus est, & conuersus sequentibus se turbis dixit. Amen dico vobis, nõ inueni tantam fidem in Israhel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recubent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijicientur in tenebras exteriores, vbi.

gò cum ve-
nt eum sol-
gnus est, vt
nim gentē
se adifica-
Ego veniā,
n illis. Et
domo, mi-
os, dicens.
enim sum
um intres;
non sum
em ad te,
sanabitur
o sum sub
as sub me
& vadit;
ruo meo,
Iesus mi
uentibus
obis, nō
hel. Di-
ab Ori-
& recū-
& iacob
n regni
riores,
vbi.

vbi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni. Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

PROPHETIAE.

- 1. **E**T erit fides in temporibus tuis diuitia *Esa. 35.*
salutis, sapientie, & scientie.
- 2. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Esa. 43.*
- 3. *Ecce isti de longē venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi. Esa. 49.*

CONSIDERATIONES.

POSTQVAM Dominus docuit in *Punct. 1.*
monte, & leprosum sanauit, venit Capharnaum, vbi habitabant multi gentiles, & ibi sanauit Centurionis cuiusdam seruum non sine magno mysterio; vt intelligerent Saluatorem post mūdaturū populū Iudaicū in leproso praefiguraturū, mundare quoque & sanare voluisse gentilem, cuius primus fructus fuit hic Centurio: cuius fides tanta fuit, vt fides Iudaeorum respectu huius reputata fuerit infidelitas. Nam homo hic cum doctrinam Christi non audisset, nec miracula eius vi-



diffet, tantum autem rumore & fama aliquid cognouisset, multo plus credidit, quam audierat. Magna verè fuit fides leprosi confitentis potentiam Saluatoris, sed multo maior huius Centurionis, quia non solum potentiam sed etiam diuinitatem Christi confessus est. Verum vnde homini huic gentili tantum lumen, tanta illustratio mentis obrigit? certè non aliunde, quam a Sole iustitiæ, qui simulatque apparuit in mundo cepit illuminare mentis tenebras, & frigidorum hominum pectora calefacere. Ille enim est, qui misericordia sua nos præuenit, excitat desideria, accendit voluntatem, vt cognito miseros & periculoso statu, in quo versamur, incipiamus expetere remedium, atq; ita quæramus Saluatorem, qui afferat nobis salutem. Quare bene dixit Euangelista, quod cum introisset Iesus Capharnaum accesserit ad eum Centurio. imò dicere poterat, quod Christus cum communicato lumine interno, & notitia sui attraxerit & adduxerit ad se. Accessit ergo Centurio ad Christum, non corporis, sed fidei passibus, passibus desiderij & deuotionis. Nam, vt dicit Euangelista, non accessit ipse in propria persona, sed nomine suo, milit alios.

non.

non
CHR
cium
diu
dici
res
STV
Cent
STV
milit
rius,
ctus
CH
CH
lieni
quis
us an
2.
para
Cent
licit
hun
m f
tori
dan
tâq
non
era
ma
&

non reputans se dignum præsentia CHRISTI, & multo minus ut beneficium aliquod ab eo postularet. Sed ô diuina iudicia, quam longè abestis à iudicijs hominum. Iuerūt quidem seniores Iudæorum ad rogandum CHRISTVM pro Centurione, sed verè ipse Centurio multo illis propius CHRISTVM accessit: quo enim per humilitatem longiùs erat remotus exteriùs, tanto interiùs propius erat conuñtus. Genere quidem erat externus CHRISTO, sed corde erat totus CHRISTO familiaris. Natione alienigena, sed fide popularis & propinquus; præfectus erat militum, sed socius angelorum.

2. DOMINE, *puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Considera Centurionis charitatem, quantam sollicitudinem, & amorem declarat erga hunc seruum, & quomodo verbis commiseratione plenis conetur pia Saluatoris viscera commouere ad restituendam ei sanitatem. orat pro seruo, non tãquam seruo, sed filio carissimo. Nam non spectabat in eo formam serui, qua erat illo inferior & subiectus, sed formam hominis, qua erat similis Deo, & sibi in natura æqualis. Sed vide

quam cito, & quā benè hic homo gen-
tilis modum orandi didicerit; et si mirū
non sit; nam spiritus qui tantam carita-
tem cordi illi infuderat, etiam docue-
rat illi modum orandi Dominum,
ad obtinendum quod ab eo postularet.
Non igitur petit à Christo, vt sanet su-
um seruum, sed paucis tantum verbis
exponit eius aegritudinē, rationem re-
medij diuinæ eius misericordiæ relin-
quit, atq; si cognouisset, se loqui eū eo,
qui erat ipsa bonitas, quiq; non solum
omnia sciebat & poterat, sed sciebat et-
iam quid seruo magis expediret. Quare
nec putauit sibi multis verbis agendū.
Ex alia parte, licet videatur pauca dixisse,
nihilque postulasse, multa tamen
postulauit, multaque paucis illis verbis
dixit: nam potentissima quadam peti-
tio in auribus misericordis IESU erat,
audire afflictum statum illius infirmi
serui, ab omnibus derelicti, & omnibus
membris soluti & exerciati; videre et-
iam tantam caritatem, & misericordi-
am eius Domini, sollicitudinem quo-
que & dolorem quem ex serui aegritu-
dine hauserat; quæ omnia valebant nō
ad mouendum modo, sed etiam ad co-
gendum Dominum vt miseretur
& subueniret huic paralitico: neque
enim.

CH
enim co
nis vine
infirmu
quām
inueni
3. RE
Ego ven
mittis,
nū hui
rat, nec
domun
rabiler
bat ille
missur
ingree
tentat
incred
humil
gentil
braha
norat
vt mu
uit lo
specu
dem
ni. I
velut
ob ta
fion
vt int

enim conueniebat vt caritas Centurionis vinceret caritatem Christi, vel vt infirmus hic minorem apud Deum, quàm apud vnum hominem caritatem inueniret.

3. RESPONDIT ergo Dominus, *Ego veniam, & curabo eum.* Sed quare promittis, bone IESV, te venturum in domum huius Centurionis, cum ille nõ que- rat, nec petat, sed nec gratum illi sit vt domum suam ingrediare. Vide admirabilem Saluatoris prouidentiam. Sciebat ille quidem Centurionem non permissurum, vt Christus domum suam ingrederetur, sed tamen idfecit ad eum tentandum, vt sigillatim populo illi incredulo patefieret, quantus fidei & humilitatus thesaurus in hoc homine gentili lateret. Sic tentauit DEVS Abraham, non vt cognosceret, quã prius *Gen. 22.* norat, eius obedientiam & fidem, sed vt mundo eam manifestaret. Sic tentauit Iob, vt omnibus hominibus esset *Iob. 1. 2.* speculum & exemplum patientiæ. Eadem ergo de causa respondit Centurioni. Ego veniam & curabo cum; vt ille velut perterrefactus & pudore suffusus ob tam benignã, liberalemque promissionem diceret. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Deinde ex hu-

A a 7. mili-

militate Dominus se obtulit ad hanc
 profectionem, ne videretur dedignari
 ire ad inuisendum tam vili conditio-
 ne seruum : vnde alibi rogatus a quo-
 dam Regulo, vt veniret ad sanandum
 suum filium, non dixit, Ego veniam,
 ego curabo eum, sed dixit, Vade, filius
 tuus viuit. itaque tunc rogatus ire no-
 luit, ne nobilitate personæ videretur
 inductus. At nunc, ne rogatus qui-
 dem promittit se iturum, ne videretur
 huius serui vilitatem contempsisse.
 Quamquam proprium semper fuit do-
 mini declarare se promptiorem ad iu-
 uandos homines pauperes & simplices,
 quam diuites & potentes, quia scriptum
 est. *Alta à longe cognoscit, & humilia respicit in caelo & in terra.* Vide anima mea,
 quam bonus & benignus sit tuus DE-
 VS, qui neminem aspernatur, quan-
 tumuis abiectum & indignum, sed
 complectitur omnes, & magna carita-
 te offert se omnibus. Vide, quomodo
 non Angelum, nec hominem ad te
 iam peccatis perditam redimendam
 miserit, sed voluerit ipsam Dominum
 Angelorum in propria persona ad
 curandas tuas infirmitates venire, i-
 mò seipsum obtulit in medicinam &
 sacrificium ad expianda omnia pecca-
 ta nostra.

Psal. 137.

A. DO.

4. *DOMINE non sum dignus, ut in-
tres sub tectum meum.* Quasi voluisset
dicere Centurio. Domine pro benefi-
cio & misericordia mihi à te præstata,
honorem non iniuriam teneor repen-
dere: satis beneficij à te accepero, si
seruo reddideris sanitatem: cur
ergo rependam ego tibi hanc iniuri-
am, vt patiar te ingredi in domum
tam immundam & indignam, idque
tantum ad curandum vnum vilem fa-
mulum? sufficit tibi, cui omnia obe-
diunt, vnum protulisse verbum, & re-
surgit seruus meus. O sancta humili-
tas, quantoperè places diuinis oculis,
quam copiosè ab eo remunerata es.
Nam Centurio, dum dicit se indignum
ad recipiendum Christum, hoc ipso
dignus factus est, vt Christus intraret
non domum, sed cor eius. Ille non
reputabat se dignum, vt Christus in-
traret domum suam, & Christus fecit
eum dignum vt intraret suum cæleste
regnū. Vide, quot virtutes in his pau-
cis verbis contineantur, & tales quidē,
vt vix perspicui possit, quæ sit magis ad-
miratione digna, humilitas ne, an fides
sapientia, vel prudentia, Humilitatem
magnam declarauit, quod se censuerit
indignū Christi præsentia & cōspectu;
indi-

indignissimum autem, vt ille ædes suas
 ingrederetur. Fidem magnam demon-
 strauit, quod firmiter crediderit Chri-
 stum etiam absentem vno verbo posse
 suo seruo reddere sanitatem. Sapientiã
 quoque, quod à nemine doctus, recon-
 ditum diuinitatis Christi thesaurũ co-
 gnouerit. Denique & prudentiam ma-
 gnã verbis illis quæ subiunxit. *Nam*
ego homo sum sub potestate constitutus,
habens sub me milites, mando illis & ob-
 temperant. O prudentia singularis, o
 mens animi mundi & puri, quã citò
 cognouisti & declarasti profunda no-
 ui Testamenti mysteria, quã benè in
 te imaginem futuræ Ecclesiæ, & pri-
 mitiarum gentilitatis in Christum cre-
 dituræ expressisti; non secus, ac si dicere
 voluisset Centurio. Si ego tam exiguæ
 dignitatis & auctoritatis homo, sum
 enim sublimiori Magistratui subie-
 ctus, per ministros efficere possũ quic-
 quid volo, eò quod ad minimum nutũ
 mihi obsequantur, quanto magis tu,
 qui es DEVS omnibus rebus præsens,
 tu potētissimus totius vniuersitatis Do-
 minus, cui Angeli, omnesq; creaturæ
 seruiūt & obediunt, vno verbo, sine vlla
 corporali præsentia, poteris curare
 meum seruum? O fides mirabilis ho-
 minis.

minis non iam gentilis, sed perfecti Christiani. o pietas militis, non iam mundi, sed Christi. Quomodo quæso in gentilitatis tenebris tam diuinum potuit splendere lumen, & ex ore stultorum idolis feruentium tam limpida & pura veritas prodire?

5. CONSIDERA, quanta prouidentia Deus voluerit, tam excellentem hominis Ethnici fidem & humilitatem manifestari. Noluit hanc lucernam accensam latitare sub modio, sed supra candelabrum poni. vt in conspectu totius illius populi splenderet; quod fecit. Primò, ad pudesfaciendam Iudæorū cæcitatem, qui tot scripturis instituti, & vaticinijs, quæ non alium quàm Christum prædicabant, post conspecta tot miracula, & auditam toties eius doctrinam tamẽ cū respuerunt, & vix in Prophetam eum recipere voluerunt: at hic homo idololatra, qui nunquam eum cognorat, nunquam audierat, nec opera eius admiranda viderat, cõfessus est, & recipit eum in DEVM. Secũdo fecit, ad prouocandũ Iudæos ad fidem, partim Centurionis exemplo, partim communicando illis diuinæ suæ potentie notitiam, nam secundum Centurionis fidem poterat vno verbo sanare infir-

fit.

firmos. Tertio, ut illis insinuaret, si in sua incredulitate persisterent, notitiam Dei, prædicationemque Euangelicam demigraturam ad gentes, illis permanentibus in sua obstinatione excæcatis,

6. IESVS auditis Centurionis verbis, quasi admirans dixit circumstantibus. *Non inueni tantam fidem in Israhel.* O sapientia æterna, quæ causa admirandi tibi fuit, quæ omnia nosti, nec quicquam absconditum est coram oculis tuis: satis explorata tibi erat Centurionis illius fides, imò fides illa non aliud fuit quàm donum tuum. itaque te admirari illam, aliud non fuit, quàm te honorare & laudare in tuis creaturis voluisse tua dona & charismata; tanta est bonitas tua, & caritas qua ergo nos flagras. Miratus est quoque non sua, sed Iudæorum, qui aderant, causa, ut ipsi conspecta tanta fide & humilitate in homine gentili, mirarentur, & videntes in se tantas virtutes non esse, erubescerent, & cōfunderentur. Quare benedictus IESVS fecit instar sapientissimi Magistri, qui quamuis optimè norit quid legere debeat, tamen legendo indicat se mirari res de quibus loquitur, nō quod ipse ante ignorarit, sed ut plu-

ris æstimentur, fitmiusq; mentibus auditorū imprimantur. Sic Dominus desiderans has eximias Centurionis virtutes fixas hæere in pectoribus suorū affeclarum, declarauit se tantoperè eas admirari. VERVM ego domine mi nō miror de ista tua admiratione, sed plurimum miror te conspecta tanta fide in homine externo, & gentili, & simul tāta tui populi incredulitate; puncto illo temporis vel in planctū vel in clamorem nō erupisse, & exclamasse cū Propheta. *Audite cæli, & auribus percipe terras; Esai. 64. filios enutriti & exultanti, ipsi autem spreuerunt me, cognouit hos possessorem suum, & asinus presepit Domini sui, Israel autem me nō cognouit.* Et certè res digna erat planctu & lachrymis, gentes barbaras, ex vltimis mundi finibus, quæ instar animalū brutorum expertes erant Dei & legis, ignorantia tenebris immersæ, ad primos huius solis iustitiæ radios, tam promptè lucem veritatis amplecti, non secus quàm si plenè de ea fuissent instructæ; adhæc tanta constantia eam profiteri, & defendere, vt non reformidarint pro ea etiam vitam exponere. Contra verò populus ille qui à prima origine mundi erat ex omnibus populis a Deo electus, cui legem, sa
 cer-

cerdotium, Prophetas regnum dederat, cuius per tot annorum myriades Deus singularem curam habuit, institute illum, defendendo, & instar filij admodum dilecti caelesti manna, lacte & melle sustentando, & denique eius causa de caelo in terram descendendo, totque signis & prodigijs se Messiam esse patefaciendo, non solum non eum recepit, sed contempsit, persecutus est, & tandem impiè trucidavit. Quare merito benedictus IESVS respiciens in fidem futurae Ecclesiae suae, cuius typam praerebat Centurio, admirantis specie dixit se tantam fidem non inuenisse in populo Israhel.

7. DIXIT ergo IESVS Centurioni. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Considera quam promptus sit Christus ad prestandum beneficium, quomodo nesciat rem negare, quae cum fide & humilitate, ab eo postulatur: demonstrans hanc, quantum nos diligit, & quam impense omni iusto nostro desiderio facere satis cupiat. Nam cum diceret illi Centurio. *Domine tantum dic verbo, & sanabitur puer meus,* ille vno tantum verbo prolato puerum sanavit: nec mirum, quia Christo Domino nostro idem erat dicere, & facere: & ideo de eo scriptum.

ptum est. *Dixit & facta sunt, ipse mandauit Psal. 148.*

& creata sunt. Ex alia parte considera quàm ægrè & difficulter dominus adducatur ad pœnas peccatoribus infligendas: nam promittens Centurioni ob meritum fidei sanitatem serui, non paulatim, sed extemplo eum sanauit; at cum paulò post Iudæis in pœnam incredulitatis eorum minaretur se eos in tenebras exteriores proiecturum, non mox proiecit, sed tempus dedit resipiscendi & pœnitentiam agendi. O quàm bonus & suauis est noster DEVS, non scit malè agere, etiamsi mineretur; tenet quidem manibus iustitiæ gladium, nobisque ostendit, sed ad terrendum tantum, non adferendum. At nos sumus qui crudeles in nos ipsos, peccando gladium è manu Dei rapimus, & in nos ipsos conuertimus, in nostram perditionem. Ne imitemur ego malitiam & incredulitatem Iudæorum, nisi velimus incurrere, quas Dominus minatur pœnas: sed huius boni Centurionis fidem sectemur, vt sicut ille omnia obtinuit, secundum quod credidit, ita nos credendo firmiter, Christum posse & velle nobis peccata remittere, & ex parte nostra nullum diuinæ gratiæ obstaculum ponendo, mereamur vnà cum Centurione

riore

ratione ex eius ore dulce hoc verbum au-
dire. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.*

COLLO QVIVM.

ORABIS CHRISTVM Domi-
num, quoniam non dedignatus est
ingredi domum hominis gentilis, ad sa-
nandum seruum paralyticum, dignetur
quoque gratia sua visitare animam
tuam, in domicilio huius corporis de-
cumbentem, & à suis pravis concupi-
scentijs & affectionibus malè tracta-
tam. Et quia ipse tam potens est, vt vni-
co verbo reddere potuerit illi seruo va-
letudinem, dignetur & tibi vnum mi-
sericordiæ verbulum dicere, ad sanan-
dā animam tuam: simulque largiri gra-
tiā, vt tantū imperiū obtineas in vires
& sensus animi, vt possis perturbatio-
nes, & inordinatos effectus cordis in
eum modum coercere, vt caro perfectè
sit spiritui subiecta, & spiritus solum
seruiat Domino & Deo tuo.

DOCUMENTA.

- i. **C**ENTVRIO reputans se indignum qui
Christum adiret, misit populi seniores,
qui implerent eius opem pro seruo: sic nos, quā-
do obnoxij sumus peccatis, & existimamus no-
stras preces indignas præsētia Domini, confu-
gere

tere debemus ad auxilium Sanctorum, ut eorum meritis & intercessione facilius aditum habemus ad diuinam misericordiam, & gratias eas impetremus, quibus alioquin nos per demerita indignos censebamus.

2. Ex hoc facto Centurionis tam solliciti pro curanda valetudine sui serui, discere & nos debemus, ut misericordiam erga seruos & omnes subditos exerceamus, maximè quando in aliqua sunt necessitate: & non facere more quorundam hominum inhumanorum, qui seruos dum infirmantur, aut negligunt, aut domo exturbant.

3. Centurio dixit Christo, Puer meus iacet in domo paralyticus. Magna verè infirmitas est anime, quando iacet in domo, hoc est, quando interiùs per prauas cogitationes vel desideria delinquit: sed multo grauior & lethaliior redditur, quando extra domum delinquit exemplo malorum operum vel verborum proximis scandalizando.

4. Seniores rogabant CHRISTVM, ut gratiam illam faceret Centurioni, quod amaret ipsorum gentem, & edificasset ipsis Synagogam. Illi merentur tempore aduersitatis in suis precibus exaudiri à Deo, qui tempore prosperitatis Dei memores fuerunt, & in operibus pietatis, caritatisque Christiane se exercuerunt.

5. Cen-

5. Centurio sanitatem seruo suo restitui petijt à Christo. Primò cum humilitate, nam dixit, Non sum dignus, Secundo cum resignatione; nec enim absolutè illam restitui petijt, sed tantum certiore eam reddidit de serui infirmitate. Tertio cum fide: credebat enim eum vno verbo posse à Christo sanari: Vnde discimus quo modo donata temporalia à Deo sint postulanda. Primò cum humilitate, agnoscendo nos ad ea obtinenda indignos. Secundo cum resignatione, committendo nos iudicio & beneplacito Dei, qui nouit optimè quid nobis magis conueniat, Tertio, cum fide, firmiter credendo, quod facere possit, & facturus sit quod vtilius erit anime nostrae.

6 CHRISTVS respondit Centurioni. Ego veniam, & curabo eum. Hic discimus à Redemptore nostro, non parui facere pauperes, & infimae conditionis homines, sed potius erga illos maiorem declarare charitatem, magis benignos & humanos illis se ostendere. Hoc enim maius erit nostrum meritum, quo maior eorum fuerit necessitas: illi enim cum non habeant quod rependere valeant, Deus se eorum loco faciet nostrum debitore: vti ipsi monet nos in Euangelio.

7. Dixit Centurio. Habeo sub me milites, & dico huic, Vade & vadit, & alibi Veni & venit. Talis & tu esse debes erga tuos Superiores, nempe promptè obsequendo illis

illis in omnibus, quae imperarint : & multo
 etiam magis erga Deum Dominum nostrum.
 Eandem quoque subiectionem procurare de-
 bes in teipso, ut videlicet, animae tuae potentiae
 & affectus ita sint ordinati & compositi, ut
 sine difficultate obsequantur rationi.

8. De hoc infirmo primo Euangelium com-
 memorat fuisse puerum, vel quod idem est,
 seruum. Secundo iacuisse. Tertio fuisse para-
 lyticum, id est, non potuisse vllum corporis
 membrum commouere. Quarto, malè fuisse
 illo morbo tractatum. Sic miser peccator, per
 hunc infirmum significatus, Primo est seruus
 peccati, imò tot Dominorum seruus est, quot
 vitia & passiones in eo dominantur. Secundo
 iacet, quia non stat erectus instar iustorum:
 sed procumbit humi totus corde & affectu
 immersus rebus huius mundi. Tertio est pa-
 ralyticus, id est, ad omnia bona opera impo-
 tens; nullum enim eius opus potest esse meri-
 torum. Quarto malè torquetur, & affligi-
 tur continuo conscientiae stimulo, passionibus
 & desiderijs, multoq; timore, & anxie-
 tate ad acquirenda & conseruan-
 da bona temporalia.



bb DE